

Praxis de Tribus Filiabus

5. Talia eo cogitante, accidit ut quidam convicaneus eius, nimium locuples, ad tantam veniret inopiam, quod nec etiam necessaria vitae haberet. Quid plura? Ingrediente inedia, tres virginēs quas habebat filias, quarum nuptias etiam ignobiles spernebant viri, fornicari constituit, ut earum saltim infami commercio infelicem ageret vitam. Proh pudor! Extemplo fama mali tanti, qua non aliud velocius ullum mobilitate viget, totam perculit urbem et multiplici populos sermone replēbat.

atque, virginum execrans stuprum, decrevit omnino ex suis abundantis eorum supplere inopiam, ne puellae nobilibus ortae natalibus lupanaris macularentur infamia. Sed, cum nollet alium sui facti, nisi Christum habere contemplatorem, coepit explorare temporum vices, quo id sic operaretur, ut etiam eos lateret, quibus fiebat. Eia nunc famule Dei, exime pauperiem patris, exime filiarum scortum! Tellus tuae mentis hactenus sancto exulta vomere, duplum subito prorumpat in fructum, ut, ex uno, famelici satiatur ingluvies et, ex alio, virginum redimatur incestus. Non occultes ferentis Christi fruges, quae carent zizania. Aperi thesaurum tuum, ubi pietatis gazae resultant; nec paveas adulationis fomitem, quia non exurit flamma vitiorum divitias, quas approbat Christus. Non timet illa aedificatio ignem aeternum, quae fabricatur opifici summo. Rumpe morulas omnes, opus perface bonum, ut videant, immo sentiant homines et glorificent Patrem tuum, qui in caelis est!

Acta ergo cuiusdam noctis hora, sumens non modicum aurum ligansque in panno, perrexit ad domum viri; quam undique circumspiciens, per fenestram, quae competens videbatur, clam intro proiecit clamque discessit. O nova Iacob strophā! Ille commentus est, qualiter Laban, mercedem non amitteret; hic, autem, ut caelestibus non privaretur commodis. Ille in canalibus decorticatas ponebat virgas, ut varia quaeque acciperet; hic, ut Elysii varia oblectamenta quaeret adipisci, aedis intra claustra, ligatum proiecit aurum obryzum. Hic est, magister bone, tuus non surdus auditor, qui iussis obtemperans tuis, duo implevit praecepta: et miseratus est hominem mendicum et opus sic peregit dexterā, ut ignoraret sinistra.

Mane itaque facto, cum surrexisset homo aurumque reperisset illud, dirigit primum; ac tum quanto gestivit

⁸ Ed., P. CORSI, *La Vita di S. Nicola e un codice della versione di Giovanni diacono*, in "Nicolaus" Rivista di teologia ecumenico-patristica, anno VII, fasc. I, Bari 1979, pp.359-380. La *Vita* trascritta dal Corsi è contenuta nel codice Berlin, Staatsbibliothek Preussischer Kulturbesitz, Lat. 741 (ff. 3r-19r) del XII secolo, manoscritto proveniente dall'abbazia benedettina di Lambach in Austria.

gaudio quantasque Deo gratias egit, si quis velit, ex obortis lacrimis eius, quas magnitudo laetitiae fuderat, advertere potest. Tandem aliquantisper sciscitandus est vir iste de inopina sua exultatione. «Dic, age, rogo te, homo, cur tanto exultas tripudio? Hactenus, enim, lugubrem tuum vultum ostendebas; nunc te hilarem cerno»: «Bene, inquam, laetari me vides, quia Dominus clemens, nescio per quem, praestitit vitae meae subsidium; quo carere queam infamia, quam invitus incurrebam». Cui, ergo, adscribis impensam tibi benignitatem? Forsitan fidei tuae? Prorsus illi. O temeraria lingua viri! Ante paululum, tantae te ostendisti infidelitatis, ut temptatus, non gratias ageres, sed prostituere decerneres templum Spiritus Sancti; et nunc te astruis dignum hoc fuisse. «Quale, inquis, templum dicis?». Vis scire quale? Audi vas electionis, quam clare commendat illud: «Omnis - inquit - qui caste vivit, templum Dei, Spiritus Sancti est sedes». Si ita est, immo quia ita est, quamobrem tu filias tuas fornicari mandabas? Quia inedia obprimebaris? Et cur non laborabas manibus propriis, sicut Apostoli fecerunt? Qui non tantum pro se, sed etiam ut haberent, unde tribuerent, necessitatem patienti laborasse comprobantur? «Nobilitas mea renuebat quodlibet opus patrare». Infelix, si te illustrem considerabas, cur puellas, ex te genitas, pomposo lenonum ministerio ignobilitari malebas? Disce ergo miser, disce; non tuae fidei tribuere, iuxta sententiam Apostoli dicentis: «Qui templum Dei violaverit, disperdet illum Deus». Sed largae Dei clementiae, qui non est passus, diu contegi famuli sui lucernam sub modio, ne lux lateret in tenebris, sed ut posita super candelabrum luceret omnibus, qui sunt in domo Domini. Tu tantum revoca filias! esto pronubus copulae iustae, non leno commixtionis iniustae. Trade maritis, quas prosternebas fornicatoribus; laetentur coniugio iusto, non deformentur concubitu iniusto. Praesto est, crede mihi, qui

tibi dotem ministret, ut omnes conubio stabili iungere possis.

6. Celebratis igitur, ex more, primogenitae suae nuptiis, coepit homo diligenter inquirere, quis esset homo ille, qui inopiae eius tantam praestitisset humanitatem. Cumque diu talia moliretur, Nicolaus Iesu Christi famulus, haud multo post, tropo, quo prius, simile peregit opus. O virum, omni imbutum peritia omnique instructum scientia! Qui, ut se utrorumque Testamentorum suscipere mandata profiteretur, non est contentus lege litterae, sed adnectit evangelicam gratiam, quatenus duobus fluminibus, uno ex meatu profluentibus, arenam fidei hortulum bene irrigaret, ne ultra segetes, falce pietatis incisae, lolio infandae iussionis laetam valerent adterere frugem. Ubi vero terris est reddita dies et homo prosiliivit de stratu suo, invenitque fulvi pondus metalli prioris aequale; tanto exultavit gaudio, ut nullius possit exprimi eloquio, quin, etsi Homeri seu Maronis adesset facunda loquacitas, in tantarum magnitudine laudum exprimenda, succubisset. Sed nos nonnulla orationis eius prosequentes, cetera sagacis lectori melius sub silentio ad intelligendum relinquere, quam indagare, eligimus. Oravit autem sic. «Domine, Domine - inquit - absque cuius nutu, nec passer ad terram nec folium cadit arboris, deprecor ineffabilem clementiam tuam, ut tu, qui omnia nosti, ostendere digneris mihi peccatori, qui sit ille, qui tanta bona erga me exhibere non desinit. Hoc autem, Domine, ideo peto, non ut, cum temerario ausu, pollutis contingere quaeram manibus; sed ut sciam famulum tuum, qui, inter homines degens, angelicam habet conversationem et magnificem nomen tuum benedictum in saecula». Talibus orabat dictis talibusque se hortabatur sermonibus: «Aufero certe somnum ab oculis meis, excubabo sollicitus vigilansque pernoctabo; forsitan ostendet mihi Dominus servum suum». Dixit et

dictum coepit opere exercere. Interea paucis admodum evolutis diebus, ecce cultor Trinitatis, advenit Nicolaus et, iteratae vicis factum trino subplere cupiens numero, aequale duorum iactavit talentum. Cuius sonitum excitatus homo, statim egressus, iam evadentem iamque fugientem tali subsequebatur voce: «Siste gradum teque aspectui ne subtrahas nostro. Olim te videre desideravi, olim te concupivi cernere». Sic fatus, ocior advolat, spatioque correpto, Nicolaum agnovit per umbras. Mox, humi prostratus, osculari satagebat pedes eius. Quod Sanctus, pio ut erat pectore, prohibuit fieri, sed breviter allocutus, exegit ab eo, ne cuiquam, quamdiu vitales carperet auras, Nicolaum huius rei indicaret auctorem. Felix felicem imitatus est magistrum, qui non solum homines, sed etiam daemones comprimebat, ne famam eius fererent in populo. Ille enim, ne veris falsa miscerent; iste autem, ne quolibet extolleretur rumusculo, interdixit homini, ut nullo modo panderet nomen eius. Hic omnibus votis colendus omnibusque praeconiis est extollendus, qui sciens duobus non posse placere dominis, unum elegit; cuius onus leve est, cuius iuga ferre suave est, cui tota devotione colla submittens, ponderosam sarcinam mundi cum oblectatione sua proiecit. Noluit enim quamcumque saeculi captare famam, ne sanctorum contubernio privaretur. Committebat se Deo assidue, qui dispensat et ordinat omnia, quando vult et quomodo vult.